

SCRIPTA

Numéro Scripta : 968

Auteur(s) : Eugène III [pape]

Bénéficiaire(s) : Bayeux (chapitre cathédral)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1153, 4 février

Lieu d'émission : Rome

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Le pape Eugène III, écrivant au chapitre de Bayeux, confirme les donations faites par l'évêque Philippe de Harcourt au trésorier, au sousdoyen et au sous-chantre de Bayeux et à leurs successeurs ; il confirme pareillement la fondation des prébendes de Saint-Pierre et de Saint-Jean de Caen.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CLXXVIII, t. 1, p. 221-223.
- b. Ramackers Johannes, *Papsturkunden in Frankreich*, Neue Folge 2 Normandie, Göttingen, Vandenhoeck & Ruprecht (Abhandlungen der Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen. Philologisch-historische Klasse, 21), 1937, 2 vol., n° 69, p. 148-149.

Dissertation critique

Datation proposée par V. Bourrienne et J. Ramackers.

Texte établi d'après a

Eugenius, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis canonicis Baiocensis ecclesiae, salutem et apostolicam benedictionem. Quoniam ad regimen universalis Ecclesiae Deo sumus disponente promoti, sicut officio suscepti apostolatus astringimur in universis ecclesiis, quae ad honorem Dei et utilitatem earum pertinere videntur, sollicita provisione statuere, ita quidem officii nostri debito provocamur, quae a fratribus nostris episcopis rationabiliter fuerint constituta, firmare, ac, ne futuris temporibus a status sui rectitudine, praesumptione aliqua, moveantur, auctoritate Sedis Apostolicae communire. Veniens ad nostram praesentiam venerabilis frater noster Philippus, episcopus vester, labore suo quaedam et studio acquisita quibusdam personatibus ecclesiae vestrae se concessisse asseruit, nostraeque auctoritatis ea petiit privilegio confirmari. Thesaurariae, videlicet : cappellam Sanctae Mariae Magdalenae apud Bernerias, et terram de Conjun, quae fuit Turstini Barboti, quam viginti libris a Roberto de Sancto Remigio, et decem a Gaufrido de Foro redemit ; subdecanatui : ecclesiam de Spineto, ecclesiam de Sancto Manveio, ecclesiam de Folia, et ecclesiam de Bunneia ; succentoriae vero : ecclesiam de Heriz, cum decimis ejusdem villae, ac terris ad eam pertinentibus, et, in ecclesia de Summergeio, oblationes, decimas, et rationabiles consuetudines de illa medietate ipsius villae provenientes, quae est de dominico Roberti de Novo Burgo. Significavit etiam nobis idem frater noster quod in ecclesia Sancti Petri, apud Cadamum, redditus duodecim librarum Andegavensis monetae

in præbendam unam, et ecclesiam Sancti Johannis, in vico Oximensi, cum terra quæ fuit Alexandri in valle de Escures, et decima quæ est in Aldreio, de feudo Guillelmi de Fontaneio, in præbendam alteram, ad servicium Baiocensis ecclesiæ, deputavit, atque de decima feudi Symonis de Bosvilla, in Fougerollis, præbendam Rodulfi Patric quæ pauper erat magistra caritate supplevit, et hæc, in usibus eorum qui modo ea canonice tenere noscuntur, et illorum qui eis ad servitium Baiocensis ecclesiæ pro temporum varietate successerint, perpetuis temporibus constituit remanere. Nos igitur, ne processu temporis cuiquam ad istorum perturbationem aliquis pandatur accessus, et quod ad decorem domus Dei, et subsidium ministrorum ejus constitutum esse dinoscitur, temeraria cujuslibet refragatione turbetur, id auctoritate apostolica confirmamus, et quæ præscripta sunt juxta supradicti fratris nostri constitutionem ad usus eorum, qui ea in præsentiarum canonice habere noscuntur, et successorum suorum, futuris temporibus decernimus devenire, salvis nimirum, in supradictis ecclesiis, episcopalibus consuetudinibus, quas sibi ac successoribus suis in eis idem frater noster, excepta capella de Berneriis quæ antiquitus consuetudinibus illis exempta est, reservavit. Nulli igitur omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursum. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, secundo nonas februarii.